



DISPOSITIO ET EXPLICATIO ECCLSIASTÆ.

Non ultimum est Christiani hominis officium, abnegatio rerum præsentium. Id passim scripturarum clarissimis inculcatur sententiis. Nolite amare mundum, & quæ in eo sunt. Maledictus, qui fiduciam ponit in carne. Qui habet, sit ut qui non habet. Præterit enim schema hujus mundi. Quomodo potestis credere, qui honorem ab hominibus sumitis? & cetera. Quippe ita est. 1. Prout fiducia hominis collocata fuerit, ita salus ejus salva est. Arundo, si quis incumbat, frangitur manumque nitentis terebrat. Naufragum in torrenti amne natandi lassum frutex apprehensus gurgisi demerget. Hoc vanitatis flumen non, nisi natatu, hoc est continuo vanitatis repulso, vincitur; ut ex illo in rupem solidam & firmam subleveris. 2. Qui amat, & satiatur eo, quod amat, ut aliud cupiat ac desideret: naturæ consentaneum non est. Qui rerum vanitatem non expenderit; quin eas amet, quin eis acquiescat: qui nesciat omnia præsentia caduca esse; quin semper aliquid eorum quærat: qui autem illa vel quærit, vel ea amat; ut cœlestia quærat & concupiscat, fieri non potest. At enim beati sitientes, beati esurientes justitiæ. nam hi cibabuntur & satiabuntur. Famelicos implevit cibo: saturos dimisit inanes. 3. Impossibile est, ut credat Christo omnia optima in spiritualibus & cœlestibus promittenti ex gratuito dono; qui in carnalibus & terrestribus quicquam bonum & suum putaverit, neque eo carere æquo animo, ut illa accipiat, didicerit. Ridiculus est mundo Christus, paupertatem, humilitatem, crucem, continentiam, abstinentiam, pro magnis bonis commendans; qui thesauros, honores, voluptates pro bonis reputat, seque iis privari

A

aus